



Wa. 78.



Fuprat Biffert. succ. 20.

2. Carrach Hal.
- 1 Pileon rami & Schmid Liff.
- 2 Flor. Révizi Liff.
- 1 Krankeorum Vitemb.
- 3 Fr. A. Fisher Wiffomb.
- 1 Kraus Vitemb.
- 1 Wicaker Vitemb.
- 1 Geo. Engelbrecht Ien.
- 1 Mylius Liff.
- 1 P. Müller Ien.
- 1 Zöllii Ien.
- 1 G. Mafcow (Uhl) Ien.
- 1 L. Jac. Mafcow Liff.
- 1 Ayres Liff.
- 1 Rays Gife.
- 1 Schaumburg Vitemb. (Hilbert)

Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



21./
49

Q. D. B. P.
DISSERTATIO IVRIDICA
DE
FERARVM
PERSECVTIONE
IN TERRITORIO ALIENO

VVLGO
Jagd=Solge

QVAM
PRÆSIDE
IO. HARTMVTH RAYS

I. V. L. PROF. PVBL. ORD.
DIE IX. OCTOB. MDCCXXXIIX.
PVBLICE VENTILANDAM

PROPONIT
IVSTVS PHILIPPVS HOMBERGK
zu SCHENCKLENGSFELD
HASSVS.

G I E S S Æ
EX OFFICINA MVLLERIANA.

21

2-D-11
DISSERTATIO IURIDICA

DE

FERRARVM
PERSECVTIONE
IN TERRITORIO ALIENO

VITTO

1711

GRAN

PR. S. S. I. D. E.

IO. HARTMUTH RAYS

I. V. E. P. R. O. T. P. U. B. L. I. C. A.

IN A. M. O. D. O. M. D. C. C. X. X. I. I.

IN A. M. O. D. O. M. D. C. C. X. X. I. I.

PRO G.

IVSTVS PHILIPVS HOMBURGK

IN A. M. O. D. O. M. D. C. C. X. X. I. I.

IN A. M. O. D. O. M. D. C. C. X. X. I. I.

1711
OFFICINA MVELEBRANA





In nomine Domini nostri Jesu Christi.

§. I

Nulla fere est in Sacro Romano Imperio provin- Jura, quæ in
 cia, cui non Jura quædam in alieno eoque vi- aliorum Sta-
 cino territorio exercenda competant: Jura hæc uum terri-
 plerumque nomine servitutum Juris publici ve- torio exer-
 nire solent, quæ appellatio romana plane est, centur, di-
 ac propterea illis, quibus Jus Romanum sordet, eo mi- cuntur ser-
 nus forte probabitur, quo certius constat, Romanos hu- vitutes Ju-
 jusmodi servitutes Juris publici ignorasse; harum enim ris publicæ.
 quotquot ab illis ad nostram pervenerunt ætatem, omnes ac propterea
 privata fuerunt, nec ullum directo ad publicam utilita- illis, quibus
 tem habuerunt respectum. Quum tamen vox *servitium* Jus Romanum
 juribus illis admodum congruat, nil obstabit, quo minus sordet, eo mi-
 peregrinum nomen rei patriæ a celebratissimis Juris pu- nus forte
 blici Doctoribus adaptatum sit, v. ENGELBRECHT. probabitur,
tract. de Servitutibus Juris publici. add. ELWERT *Diss. ar-* quo certius
gent. de Servitut. s. Jur. in al. territ. quest. atque nos nunc constat,
 eidem illud imponamus. Quod si vero id nominis cui- Romanos hu-
 dam displicuerit, & potius appellatio *Jurium in alieno ter-* jusmodi
ritorio competentium arriserit, per nos ita nominare liceat, servitutes
 sufficiatque, re ipsa nobis invicem convenire, & idem Juris publi-
 utroque nomine intelligi, scilicet *jus sive facultatem mora-* ci
lem, ut cujus Dominus alicujus territorii salva sua superiori- Doctoribus
tate territoriali in alterius regionis utilitatem aliquid pati, pra- adaptatum
stare,

A



stare, vel non facere tenetur. Harum servitutum plures sunt, quam quæ hic longo exponi queant ordine, unicum ergo ex illis, videlicet *persecutionem ferarum in territorio alieno, germanice die Jagd-Folge* pertractandam seligemus.

Quarum numero etiam est die Jagd-Folge.

Etymologia ejus

§. II.

Vocabulum *Jagd-Folge*, quod quisque nobis etiam non monentibus intelligit, compositum est, ex germanorum *Jagen & Folgen*. *Jagen* a græco *αἵεν*, i. e. agere, sive in fugam conjicere, descendit, & in sensu strictiori saltem de quadrupedibus, non piscibus vel avibus prædicatur, unde etiam aucupia & piscationes a venatione verbis, reque ipsa satis distinguuntur. vid. Dn. de LUDWIG *Dissert. de different. Jur. Rom. & Germ. in venaz. differ. 1. n. 3.* RUTGER. RULANT *de Commiss. part. IV. lib. II. cap. VIII. n. 54.* *Folgen* vero, quod est sequi, vel ire post aliquem, itidem originetenus vox græca, & ab *ὀπίσθς*, i. e. *tractus, vestigium impressum*, descendere videtur, nam sequi est vestigia alicujus præeuntis legere, WACHTER *glossar. voce Folgen*. *Jagd-Folge* igitur secundum nativam sui significationem denotat illum actum, da einem aufgetrieben und fortentlenden Wild nachgesetzt oder nachgeführet wird: cui significatui optime respondet latinorum *persecutio ferarum*, nec absona sunt vocabula *die Nach-Eyl, Nachsetzung*, vid. BECK. *tr. de Jurisdic. forestali cap. XIII. §. IV. pag. m. 211. pr.* BERGER. *resol. Leg. obst. tit. de A. R. D. pr. pag. m. 605.* *Wild-Folge, Nachfolge*, vid. a SECKENDORF *teutscher Fürsten-Staat part. III. cap. III. Regal. V. §. 6. pag. m. 410.* KLOCK. *Tom. I. conf. XXIX. n. 545.*

Et Synonymia.

§. III.

Observandum tamen est, illam, de qua §. præced. dixi-

diximus, significationem der Jagd-Folge non esse perpetuam, aliaque diversa plane ejusdem acceptione Jure-Consultos passim uti solere, sæpe siquidem posita hac voce intelligunt jus aliquod *sequela*, vi cujus subditi venationis causa evocati & venire jussi, sylvas circumdare, feras & maxime lupos nive cadente investigare, & latebris speluncisque suis excitare, compellere, retia & alia instrumenta venatoria ad locum destinatum adferre, ponere, canes ducere, aliasque operas ad venationem necessarias tam jumentis, quam manibus præstare tenentur, vid. AHASV. FRITSCH. *de Jure Lustrationis & sequela cap. XI. de sequela venatoria.* IDEM *de Jure pagorum cap. IX. §. 1.* B. Cancell. HERT. *Vol. I. Resp. CCCXCVIII. art. III. Teutsches Dorff und Land. Recht part. I. cap. VII. §. 35.* hinc alii dicere amant Jagd-Frohnen, BECK. *d. tr. de Jurisd. forest. cap. XVII. pr.* FRITSCH. *d. tr. cap. 8. §. 2.* alii Jagds-Diensten, LYNCKER. *Dec. Jen. MCCCXLI.* quod Jus haud immerito ad Regalia refertur, ita ut omnibus, qui superioritate territoriali gaudent, in dubio etiam jus operas venatorias a rusticis exigendi competere dicendum sit. HERT. *Dissert. de Superiorit. territor. §. LIII.* IDEM *cit. resp. d. art. III.* FROMMANN. *Diss. de operis subditor. th. 12.* MYLER ab EHRENBACH *de Princip. & Stat. Imp. part. II. cap. LXXIII. §. 14.* quanquam multis in locis easdem etiam nobiles jurisdictionis compotes exigere videamus, & proinde ex hoc jure ad superioritatem territorialem illatio neutiquam fieri queat.

§. IV.

Illum vero significatum, quo Jagd-Folge pro jure exigendi a rusticis operas venatorias accipitur, nostrum nunc non faciemus, sed hic nobis in genere est *jus feram* ex nostro in alterius fundum fugientem propria autoritate per-

Accipitur interdum pro jure exigendi operas venatorias.

Qui significatus non est hujus loci.

Quomodo
autem hic
accipiat
definitur.

Verba defini-
tionis ex-
ponuntur.

Recte dici-
tur servitus,
non quidem
sensu Juris
Romani,

sed Germa-
nici.

sequendi, eamque ibi deprehensam occupandi: quatenus vero ad servitutes juris publici refertur, & præcipuum est hujus Dissertationis objectum, illam dicimus *jus Statibus Imperii competens feram in alienum vicinuum territorium fugientem propria autoritate persequendi, eamque ibi deprehensam occupandi*. Circa quas definitiones hoc saltem monendum ducimus, quod *jus* hic significatione JCTis frequentissima, sumatur pro facultate morali, sive legitime quaesita, eadem ratione, qua alias servitus *jus* dicitur: persecutio quippe ferarum, instar ipsius venationis in alieno territorio, inter servitutes suum invenit locum, GAIL. L. I. obs. 66. n. 1. KLOCK. Tom. I. conf. 29. n. 550. 552. 559. RULANT. de Commissar. part. IV. lib. II. cap. VIII. num. 110. MEICHSNER. Tom. III. Dec. Cam. 33. n. 18. 32. fol. 1042. Equidem hæc displicent STRAUCHIO Dissert. ad Jus Just. VI. th. 31. cum BACHOVIO ad Trentl. Vol. 2. disp. 20. th. 3. lit. C. neganti, jus venandi servitutem esse, nec hallucinatur, dum decempedæ, qua JCTi Romani in determinandis servitutibus utuntur, rationem habet, secundum hanc enim neque personalibus, neque realibus ex omni parte quadrat. Veteres autem Germani illas subtilitates, quas acutissima Romanorum JCTorum natio excogitaverat, in usu non habuerunt, quin servitus illis fuit *jus quodcumque in re aliena, sive personæ sive rei seu prædii constitutum*, sive in patiendo sive in non faciendo, sive in faciendo consisteret. HEINECC. Elem. Jur. Germ. Lib. II. Tit. VII. §. 137. quare & nos venationem, affinemque ipsi ferarum persecutionem recte servitutem dici arbitramur. Feram in definitione non strictè intelligimus illam, quæ quadrupes, sed etiam omnem, quæ non est mansucta, *persequi* dicentes illum, tam qui feram fugientem in continenti, quam qui post modicum aliquod temporis inter-

intervallum sequitur. Hæc definitio igitur ita comparata nobis videtur, ut definitum ab omnibus aliis juribus, quodammodo similibus, satis queat distingui: facile enim exinde cuivis patet, quomodo a Jure venandi, vel con-

Differt a jure venandi & conve- nandi in alieno ter- ritorio.

§. V.

Principalis itaque, de qua nunc agendum, quæstio hæc est: *an & quatenus feram extra fines territorii fugientem persequi & occupare liceat?* quæ suis implicita tricis com- modius vix poterit evolvi, quam si examen ejus secun- dum diversas jurum species instituatur, & jus Naturæ, Romanum, & Germanicum caute a se invicem distingua- tur. Equidem, quod ad **JUS NATURÆ** spectat, ob- soletam controversiam de hodierna venatione, solis Principibus, sive Rectoribus rerumpublicarum compe- tente, ab aliis jam satis peractam, & hodie fere sopitam, nunc hæud resuscitaturi præsupponimus, quod, licet ab initio feræ bestię fuerint nullius, adeoque a quovis oc- cupari potuerint, id ipsum tamen constitutis civitatibus mutatum, & dominium ferarum sive venatio, jubente etiam ipso jure naturæ, quod pro certo rerum statu sive hypotheticum dicunt, non nisi Imperantibus, & iis, qui- bus expressa vel tacita eorum voluntate est indulta, com- petat, nec obstat nobis divinum illud rerum omnium conditoris edictum *Genes. cap. I. v. 28.* utpote quod de in- dulgentia communis in feras dominii saltem ante lapsum, non vero post eum, accipiendum esse, non sine ratione monet Dn. a LUDWIG *cit. Dissert. different. IV. n. 3.* Ra- tiones hujus dominii ab aliis jam latius expositas huc

Propositur quæstio, de qua princi- paliter agen- dum est.

In qua deci- denda præ- supponitur, dominium ferarum ipso jure natura hypothetico Imperanti- bus competi- tere.

transcribere studio superfedemus, atque Lectorem, quod pace ipsius fieri speramus, ad GROTIUM *Lib. II. cap. VIII. §. V.* ZIEGLERUM *de Jur. Majest. Lib. II. cap. XIV. §. 31.* HARPRECHTUM *ad §. 12. Inst. de Res. Div. n. 89. seqq.* BASTINELLERUM *Diss. von der Klapperjagd §. 6.* CARPZOVIUM *part. II. quest. crim. LXXXIV. n. 11. seqq.* aliosque sexcentos, qui de venatione commentati sunt, remittere liceat.

§. VI.

Interim quaestionis modo praemissa decisio magna ex parte ex alia praejudiciali quaestione pendere videtur: an scilicet postquam ferae, uti dictum §. praeced. in dominium imperantium transferunt, tale iisdem asserendum sit dominium, quod etiam in feras extra territorii sui fines fugientes ubicunque deprehensas duret, comperatque? id quod de jure naturali affirmandum esse judicamus, quandoquidem dominium ferarum, in territorio existentium, etiam ante occupationem (differat licet PUFFENDORF. *de J. N. & G. Lib. IV. C. VI. §. 7. & 12.* illudque sine actuali earum possessione consistere non posse existimet) Imperanti tribuendum est, vid. TITIUS *Diss. de Dominio in rebus occupatis ultra possess. durant. §. 18. 19. 20.* lex enim, quae sola ad dominium producendum sufficit, dominium earum sine dubio quoque ante occupationem transferre potest, vid. GROTIUM *de J. B. & P. Lib. II. d. cap. VIII. §. 2. & s. inf. VINN. in Comment. ad Inst. tit. de Res. div. §. 12. verb. nec interest utrum in suo fundo.* hinc nequidem vulneratio vel jaculi emissio ad hoc dominium Principis requiritur, nec amissa possessione ipsum statim dominium amissum censi debet, quin potius illud etiam in fera extra limites territorii sese subducente priori domino manet

Alia proponitur praejudicialis quaestio: an dominium illud in feras extra territorium sarritorium fugientes duret.

Qua ex jure natura affirmatur, & rationibus firmatur.

net saluum GROTIUS. *d. c. §. 2. & 3.* dummodo illa habeat *γυαλομαρα*, crepundia, aliave signa, quibus ab aliis inter-
nosci, & dominium ejus probari possit, nec magis fera
ita effugiens sit aliena, quam servus fugitivus dominium
domino suo intervertit. *L. 13. de A. vel A. P. L. I. seqq. C.*
de serv. fugitiv. GROTIUS. *d. §. 3.* praesertim quia fera, quam-
vis huc & illuc vagentur, raro tamen natale solum pla-
ne deserere, sed secundum tritum germanicum: *Der*
Haas ist gern, wo er gehecket ist, pristinos lares ple-
rumque repetere solent. conf. Dn. de LUDWIG. *cit. Diff.*
de Diff. Jur. Rom. & Germ. in venat. Differ. IV. & SCHIL-
TER. *Ex. ad ff. XLV. §. 9. cc. fin.* Firmantur praeterea haec
rationes exemplo animalium rariorum exotericorum,
aliorumve justo titulo in dominio nostro existentium, &
in dubio caractere notatorum, quae licet effugiant, ta-
men nostra manent, & a quocumque vindicari possunt,
quia hic facilis & expedita est dominii probatio: ut pro-
inde ferae fugientis dominus non propter amissam posses-
sionem, sed propter recuperandi difficultatem, despe-
ratamque probationem animum habendi dimittat, atque
sic dominium ejus pereat, haud secus ac ex neglecta rei
amissa inquisitione & repetitione animus derelinquendi
inducitur, PUFFENDORF. *de J. N. & G. Lib. IV. cap. VI.*
§. 12. cc. fin.

§. VII.

Multo magis quae §. praeced. dicta sunt, lo-
cum inveniunt, si vulneratio vel defatigatio ferae accedat.
ferit, vid. PUFFENDORF. *de J. N. & G. Lib. IV. cap. VI.*
§. 10. cc. fin. quam etiam in illis locis, ubi venatio pluri-
bus communis est, vulneranti vel defatiganti potius
quam aliis, Jus tribuere, adeoque Decisionem Divi Ju-
stiniani in §. 13. *Inst. de Rer. Div. cum TITIO in Jur. priv.*
Lib.

*Maximo si
vulneratio
vel defati-
gatio accedat.*

Lib. III. cap. V. §. 17. ad Jus positivum pertinere censemus, quia occupatio ad acquirendum dominium *non simpliciter* sed saltem *ut medium*, acquisituri voluntatem aliis indicandi, requiritur, & præ aliis actibus, animum habendi indicantibus naturaliter nullam habet prærogativam, ita ut alii actus, æque voluntatem indicantes, ejusdem cum occupatione sint efficacia. Ex dictis igitur consequitur, ut dominus, ex cujus territorio fera aufugit, illam, si idenditatem probare possit & velit, ab eo, intra cujus fines nunc degit, repetere queat: minus tamen tutum erit, exinde inferre velle, propria autoritate eandem, licet in suo jam vulneratam, in alieno persequi & occupare licere, quia nihil quicquam in alieno facere, imo nequidem invito domino in eodem versari permittitur. conf. PUFFENDORF. *d. l. §. 10.* eaque est nostrarum rerum publicarum ratio hodierna, ut quod quisque sibi debere putat, per judicem reposcere, & ipsi quoque imperantes inter sese jure privatorum, adeoque in vindicanda fera fugiente competenti actione uti debeant, secus ex promiscua ferarum in alienum territorium persequutione perpetuæ lites (quarum tamen vitandarum gratia regiones suis distinctæ sunt terminis) exorituræ, nec non innumeræ venatorum fraudes, turbatio & fuga ferarum in alienis sylvis latentium, aliaque quam plurima haud exigua incommoda metuenda forent. Consentit quidem in eo nobiscum D. LEYSER. *Med. ad ff. Spec. CCCCXLI. Med. XI* quod, si strictum jus naturæ spectemus, nec persecutio feræ ex fundo nostro in alium transeuntis permixta sit, aliam tamen & nobis plane contrariam hujus asserti dat rationem, quod nimirum feræ, quæ in nostro fundo vagantur, non simpliciter nostræ sint, sed eatenus, quatenus fundo nostro comprehenduntur,

Hinc, si prior dominus idenditatem probare possit, illas repetit.

Non quidem privata.

Sed Judicis auctoritate.

duntur, & ejus quodammodo pars sunt, quando autem ex fundo nostro abeunt, & in alium transeunt, dominum confestim mutant, nostræque esse desinant. Hac eadem quoque fuit sententia THOMASII in *Jurisprud. Div. lib. II. cap. X. n. 151.* Verum hæc ratio magis ad pristinum, quo fera nondum erant in dominio Imperantium, quam hodiernum rerum statum quadrare videtur.

§. VIII.

Qualia **JUS ROMANUM** circa hanc materiam foveat principia, docemur ac discimus adolescentes. Scilicet hoc jure differentia est inter *feras nondum captas, & inter illas, quæ captæ custodiam evaserunt.* Illæ numero earum rerum, quæ nullius dicuntur, fuerunt habitæ, v. §. 12. *Inst. de Rer. div.* ibi: *feræ igitur bestię, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cælo, & terra nascuntur, simul atque ab aliquo captæ fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt, quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. Nec interest, feras bestias & volucres utrum in suo quis capiat, an in alieno.* Unde satis superque constat, Jure Romano omnibus, etiam insalutato Domino, licuisse venationis causâ vagari per agros, prata, sylvas, campos alienos & proprios, publicos & privatos, sive patentis sive clausos, *L. 3. §. 14. de A. vel A. P.* adeo, ut qui prohibuerit alterum hac facultate, injuriam fecisse intelligatur, *L. 13. §. 7. ff. de injur.* de LUDWIG d. *Diss. diff. III. n. 1.* nisi prohibitio illa a Domino ratione fundi proprii facta esset, utpote cui venatorem, si præviderit, ingressu in fundum suum prohibere licebat, & si prohibitus nihilominus ingressus fuerit, ipsum actione injuriarum, vel interdicto, quod vi aut clam convenire poterat, *cit. L. 13. §. 7. de injur. L. 16. ff. de S. P. R. L. 22. §. 3. ff. quod vi aut clam.* feram tamen ibidem invito Do-

Secundum Jus Romanum differentia est inter feras nondum captas, & ex custodia nostra elapsas. Illas, cum res nullius, in fundum alienum persequi licet.

B

mino

earumque
dominium
acquirat
etiam in
alieno fun-
do, invito
ejus domi-
no occupans;

quoniam
plures dis-
sentiant.

Ha autem
nostra ma-
nent, quam-
diu facilis
est earum
persecutio.

Jure Ger-
manico an-
tiquissimo
jus venandi
inter cames
eiusdem co-

mino captam venator regulariter suam faciebat, *cit. §. 12. I. de R. D.* nam sola prohibitio a Domino fundi facta non est modus acquirendi, nec conditionem animalis mutat, i. e. efficere non potest, ut fera detinere esse nullius, & ne occupatio sit modus acquirendi: hinc ea non obstante bestia manet res nullius, & sit occupantis. LAUTERB. *Coll. Th. Pr. tit. de A. R. D. §. 17.* STRAUCH. *Diff. VI. ad Jus Justin. th. 28.* MAJER. *tract. de Jur. ven. Rom. Germ. pag. 129.* VINN. *Comment. ad Inst. tit. de Rer. div. §. 12. n. 3.* STRUV. *S. J. C. Exerc. XXI. thes. IX.* Obloquuntur huic sententiae Jureconsulti famigeratissimi, LEYSER. *Med. ad ff. spec. CCCXLI. med. IV.* HEINECC. *Elem. Inst. §. 346.* MYNSING. *ad Inst. tit. de R. Div. §. fera igitur. n. 8.* CUJACIUS *lib. 4. obs. 2.* qui insuper ad hoc, ut fera capiendis fiat, consensum sive permissionem Domini requirunt, a quorum tamen partibus stare nolumus, quin potius ex praemissis concludimus, quod cum *Jure Romano* venator alienum fundum invito etiam Domino fera excitanda capiendaeque causa ingredi potuerit, omnino etiam alibi excitata & fugientem in alienum persequi ei licuerit, ita tamen, ut quivis etiam contra voluntatem persequentis eandem occupando praeripere & suam facere potuerit. Quod autem *illas feras, quae captae custodiam evaserunt*, attinet, has non tantum, quocumque fugiant, persequi licet, sed & tamdiu nostrae manent, quamdiu facilis est earum persecutio, adeoque hactenus ab aliis sine nota furti nequeunt occupari. *arg. cit. §. 12. I. de R. D.*

§. IX.

Quid prima aetate apud GERMANOS obtinuerit? TACITUS *de M. G. cap. XV. memoriae prodidit.* Nimirum venationis fuerunt cupidissimi, neque tamen quisquam certum agri modum, aut fines proprios habebat, sed Magi-

Magistratus in annos singulos singulis cognationibus sive
 familiaribus, quæ una coierunt, quantum eis & quo loco vi-
 sum est, attribuerunt agri, & hunc agrum quotannis mu-
 tabant, TACITUS de M. G. cap. XXVI. ibi: *agri per vices
 occupantur: arva per annos mutantur.* Unde conieere li-
 cet, quod jus venandi inter omnes, qui ejusdem erant
 gentis sive cognationis, ingenuos commune, (i. e. prout
 loqui amat Dn. de LUDWIG cit. *Diss. differ. III. n. 2.* es
 ware alles Kuppel-Jagd) nec ulli extra suos in alterius
 cognationis terminos venari permissum fuerit. In con-
 trariam quidem sententiam abiit BEYER. *Delineat. Jur.
 Germ. Lib. II. cap. II. §. 3. seqq.* variisque contendere annis
 est rationibus, jus venandi olim etiam apud Germa-
 nos omnibus pro arbitrio patuisse: verum dubiis ejus
 satisfecit vir laudibus nostris major HEINECC. *Elem.
 Jur. Germ. Lib. II. Tit. III. §. 51. seqq.* Interim prisca illa,
 de qua modo dictum, venationis communio ex eo ces-
 savit, ex quo majores nostri fundorum dominia singulis
 assignarunt, tum enim, sicut de agris & sylvis publicis,
 magnam partem singulis civibus jure domini dederunt,
 ita etiam jus venandi in iis concesserunt, & venatio in-
 star juris accessorii legitimique annexus cujusvis fundi ac
 sylvæ habita est, vid. GLOSSA ad *Weichbild. art. CXXI. in
 fin.* ibi: *Wann ein jeder das Seine heeget, so heeget er
 auch das, das in dem Seinen ist, es sey Wild oder
 Zubn, das Wild ist sein, dieweil es in seinem Gehee-
 ge ist, add. GROTIUS de J. B. & P. L. II. c. VIII. §. 3. Dn.
 LEYSER. ad ff. spec. CCCXLI. med. 1. & 2. & Jure Ala-
 mannico cap. CCCL. §. 6. cautum est sic: Ist das ein Man
 ein Tier wundet in seinem Wildbann, und das schiebet
 von ihm, und es kommet aus seinen Augen, und es
 kommet in einen andern Wildbann, und sellet da nte,*

*gnationis
 personæ
 erat com-
 mune.*

*Hac com-
 munitio post-
 ea desit.*

*Et venatio
 instar acces-
 sorii cujus-
 vis fundi ac
 sylvæ habitæ
 est,
 quod probat
 Glossa ad
 Weichbild.*

*Et Jure Ala-
 mannico.*

Der, was zu Recht das sey, das wollen wir Euch sagen, und stirbt es darinn, ehe das er darüber kommet, der es gesagt hat, denn ist es zu Recht, findet er es lebendig, er soll es gehen lassen, dann es ist zu Recht des, des der Wildbann ist. §. 7. Ein jeglich Wild ist eines Mannes mit Recht, dieweil es in seiner Gewalt ist, kommet es aber aus seinem Wildbann, so ist es nicht seyn. Quapropter qui alienum fundum ingressus feras capit, eas hoc jure non faciebat suas, sed domino illius fundi restituere tenebatur, prætereaque qui de alienis venationibus aliquid furaverit, ita habent antiquæ leges, vel celaverit, media ætate non quidem capitalem, sed nunc V. nunc XV. solidorum pœnam luebat, quod ex legibus Salicis, Ripuariorum & Wisigothorum probat Dn. de LUDWIG d. Diff. diff. IV. n. 2. quibuscum etiam JUS PROVINC. SAXON. Lib. II. art. LXI. & ALAMANN. cap. 350. convenit, disponens: Dast niemand sein Leib, seinen Besund an Fischen, Vögeln und wilden Thieren verwürcken möge: non tamen desunt ex medio ævo feridarum propter furtivam venationem capite punitorum exempla, vid. Dn. HEINECC. d. §. 51. in not.

§. X.

Quantumvis autem Jure Germ. venatio in alieno prohibita fuerit, persecutionem tamen fugientis ferae permittit Lex Salica, Lex Longobardorum,

Quantumvis igitur veteri Jure Germanico venatio in alieno fuerit prohibita, eodem tamen persecutio fugientis ferae passim expressis verbis permittitur. LEX SALICA tit. XXXV. §. 4. & 5. hanc in rem sequentia tradit: Si quis cervum, quem alterius canes moverunt, aut adlassaverunt, occiderit, aut celaverit, DC. denariis, cui faciunt solidos XV. culpabilis judicetur. Similis quodammodo est LEX LONGOBARDORUM Lib. I. Tit. 22. §. 6. Si cervus aut qualibet fera ab aliquo homine sagittata fuerit, tandem illius esse intelligatur, qui eum sagittaverit aut vulneraverit,

verit, usque ad aliam talem horam diei aut noctis, qua sunt
 hore XXIV. quando eam post posuerit, & se ab ea torneaverit:
 nam qui eam post transactas horas predictas invenerit, non sit
 culpabilis, sed sibi habeat ipsam feram. & §. 4. Siquis feram
 ab alio vulneratam, aut in taliola tentam, aut canibus cir-
 cumdatam invenerit, aut forsitan mortuam, aut ipse occide-
 rit, & salvaverit, & bono animo manifestaverit, liceat de
 ipsa tollere dextrum armum cum VII. costis. Ipse quoque
 Imperator ^{Friedericus} ~~Barbarossa.~~ ^{Barbarossa.} ~~Friedericus~~
 & adeo peritus, ut in canibus, accipitribus, ceteris
 que ejus generis avibus instituendis, spectandis, circum-
 ferendis, nulli secundus fuerit, persecutionem ferarum
 distinctione quadam adhibita concessit his verbis: Siquis
 cum canibus venatoriis seu molossis feram invenerit, & perse-
 cutus fuerit, ut ei potius quam occupanti cedat, si lancea vel
 gladio vulneraverit aut occiderit, ut ejus sit non occupantis.
 Si cum canibus leporariis sive laconicis, ut occupanti cedat. Si
 telo, ballista, aut arcu emisso occiderit, ut aequae ejus sit, non
 occupantis, eousque tamen donec eam persequatur. vid. RA-
 DEVIC. de gestis ^{Friederic.} I. Lib. I. cap. XXVI. Quocum
 suo modo convenit SPECULUM SAXONICUM ^{Lib. II.} ^{Speculum}
^{Saxonicum.} ~~Arr. LXI.~~ Wer auch durch dieser Bannt, Förste einen reis-
 tet, sein Bogen und sein Armbrust soll ungespannet
 seyn, sein Köcher soll bedeckt seyn, seine Winde und
 Bracken sollen uffgefangen, seine Hunde gekoppelt
 seyn. Jagd ein Mann ein Wild ausserehalb des Forste,
 und folgen ihm die Hunde in den Forst, er mag wohl
 nachfolgen, also daß er nicht blase, noch die Hunde
 grüße: Und nißtthut daran niht, ob er das Wild
 gleich in dem Forste fähet, seinen Hunden mag er wohl
 wiederruffen. Tantumque abest, ut Juri Alamannico ^{Et Juri Ala-}
 incognita fuerit persecutio ferarum, ut potius expressis ^{mannico.}
 verbis

verbis eodem confirmata legatur, v. cap. CCCL. §. 8. ibi: ist, das ein Mann ein Wild jaget, und kommet es von ihm unverfehrt, es ist aber so müd, daß es niederfellt, und nicht fürbas mag, und kommet es aus seinen Augen, daß er sein nicht sieht, wer es darnach findet oder fahet, des ist es mit Recht. Und also ob er sich es hat erlassen, die weil ers suchet, so ist es sein. Wer es unter der Zeit findet, der soll es ihm wieder geben, es sey tod oder lebendig. Nec praterendum

*Tam rati-
one
quadrup-
dum, quam
volatilium.*

enim habet **JUS ALAMANNICUM** cap. CCCLIII. §. 7. Hat ein Mann Habich oder ander Federspiel, und entrieme das einem Mann ab der Hand, er folget ihm nach, und es flucht ihm aus seinen Augen, und er unterwindet sich des zu suchen, den andern, den dritten Tag, und er findet es nicht, und wer es in den dreyn Tagen fahet, der soll es mit Recht wiedergeben, fället er es an dem vierten Tag, oder darnach, es ist zu Recht sein, eadem quoque dispositio cap. 356. ad pavones & columbas extenditur.

§. XI.

*Persecutio-
nem apium
singularim
concedit Lex
Bajovar.*

De persecutione apium evolantium singulariter notandum est, quod eadem variis veteris Juris Germanici textibus concessa legatur, vid. **LEG. BAJUVAR.** tit. fin. §. VIII. ibi: *Si apes, id est, examen alicujus ex apili elapsum fuerit, & in alterius nemoris arborem intraverit, & ille consecutus fuerit, tunc interpellat eum, cujus arbor est, & cum fumo & percussionibus ternis de transversa secure, si potest, suum ejiciat examen, veruntamen ita, ut arbor non laedatur, & quod remansit, hujus sit, cujus arbor est.* Hac eadem totidem pene verbis repetuntur **JURE ALAMANN.** cap. CCCLXXI. verbis: Und ist das Immey aus

*& Jus Ala-
mann.*

fliegen,

fliegen, und fallen auf einen Baum, und er den dritten Tag nachfolget, so soll er jenem sagen, des der Baum ist, daß er mit ihm gieng, bis daß er seine Finnen gewinne, sie sollen miteinander dargehen, und Buxen an den Baum schlagen, und mit Kolben und womit sie mögen, doch also, daß sie den Baum nicht verschren noch verderben. Oder fället an einen Baum, oder auf ein Haus, oder woran er fället, so ist dasselb Recht, als um den Baum, wann er an den Baum die Schläg thut, die hiervor genennet sind, was der Finnen herab fallen, die sollen sein, und was darauf bleibet, die sind jenes des der Baum ist. Jure

quidem WEICHBILDICO art. CLIX. constitutum est: sed prohibere eam videtur jus Weichbildicum.
 Fliegt ein Bienschwarm aus eines Mannes Haus oder Hoff zu seinem Nachbar, er ist den Schwarm näher zu behalten, denn jener, der ihm folget; dann die Biene ist ein wilder Wurm. & gloss. ibid. verb. Wenn eines Bien ausfliegen, und über die Gassen, oder über des Nachbauers Zann kommen, so mag ihnen der Herr nicht nachfolgen, sondern sie sind dessen der sie fähel. Adeoque hoc Jure persecutio apium in alienum fundum etiam victus causa evolantium plane prohibita videtur: & quamvis BERLICH. P. V. concl. L. n. 17. 18. & AHASV. FRITSCH. Part. III. tract. V. de jure hortor. §. 45. hos textus generales restringant, & non sine ratione de illis tantum apibus, quæ gregatim sive conjunctim & ideo ayolant, ut non revertantur, intelligant, & attamen Glossa, Juris Romani imitatrix, ad cit. art. n. 12. sequentem adjecit limitationem: Fliegen sie aber aus, und kommen in eines andern Mannes Gewähr, sie sind des dem sie entfliegen sind, ob er ihnen uff dem Fuß nachfolget, doch mag er ihnen nicht folgen in eines andern

De persecu-
sione pisci-
um nulla
expressa lex
germ. extat.
 dern Manns Gewähr, ob ihm der Mann dahin zu
 folgen verbeutet. conf. SCHILTER. *Ex. ad ff. XLV. §.*
13. 14. 15. Quæstionem illam vero: *an secundum hac ger-*
manorum jurâ etiam piscem ex alterius rivo vel stagno in alie-
nam vicinam aquam abeuntem persequi liceat? legibus germa-
 nicis expresse decisam hæctenus non invenimus, earum
 tamen argumento positis terminis habilibus, si nimirum
 piscis transfuga ab aliis internosci queat, ex hac ratione
 affirmandam esse existimamus, quod, disponente ita le-
 ge Salica, omnium legum antiquarum germanicarum an-
 tiquissima æque ac famosissima, vid. BRUNQUELL. *Hist.*
Jur. Part. IV. cap. II. §. 2. STRUV. *Hist. Jur. cap. VI. §. 3.*
 eadem, quæ de venationibus constituta sunt, de pisci-
 tionibus etiam conveniat observare, vid. LEX SALIC.
tit. XXXVI. Loquitur quidem hæc Lex *d. tit.* de furto fe-
 rarum & piscium, sed quum ratione juris persequendi
 eadem, utriusque sit ratio, omnino illa huc quoque ex-
 tendenda videtur,

Videtur ta-
men etiam
hanc fuisse
permissam.

§. XII.

Hæc persecu-
tio olim jam
diversimode
exercebatur,
 Ex allatis hæctenus præci Juris Germanici textibus
 satis, ni fallimur, constat, cuilibet persecutionem fera-
 rum tam quadrupedum, quam bipedum, imo & avium
 & piscium, tametsi nulla privatorum conventionem servi-
 tus fuerit constituta, diversa tamen ratione licuisse, &
 hic magis laxam, illic magis restrictam fuisse: ad hanc
 facultatem quippe Lege Salica & Alamannica nequidem
 vulneratio bestia requirebatur, sed sola ejus defatigatio
 sufficiebat: Lex Saxonica & constitutio Friderici I. nequi-
 dem defatigationem, sed solam excitationem desideraba-
 bat: Longobardi vero non aliter eam permittebant, quam
 si fera jam vulnerata esset, & persecutio ejus intra viginti
 quatuor horarum spatium fieret. Sigillatim Jus Alaman-
 nicum

Lege Salica
& Alaman-
nica ad eam
sola bestia
defatigatio,

Lege Saxon.
& Constit.
Frider. I.
sola excita-
tio sufficie-
bat,

nicum ratione volatiliū, quæ jam in alicujus custodia fuerunt, & postea iterum aufugerunt, persecutionem intra triduum permittebat, id quod etiam Legibus Bajuvariorum & Alamannorum suo modo ratione apium obtinuit, quamvis glossa ad Jus Weichbildicum ad persecutionem in continenti & non invito domino factam restrinxerit. Is vero, qui persequenti feram occupando præripuit, furtum fecisse intelligebatur, & pœna dignus judicabatur. Facile igitur quis exinde colligere poterit, non tantum vulnerationem, sed & defatigationem, imo solam excitationem feræ dominium, vel saltem præ omnibus aliis potius jus in feram tribuisse, adeoque eatenus a Germanico diversum toto cœlo fuisse Jus Romanum, utpote quod nec vulneranti, nedum excitanti vel persequenti ante capturam aliquod jus in fugientem feram concedebat. vid. §. 13. *Inst. de Rer. div.* Et quamvis negari haud queat, jam olim quibusdam Jureconsultorum Romanorum, interque eos Trebatius (quo probiorum hominem, meliorem virum, prudentioremque fuisse neminem, testatur CICERO *Lib. VII. epist. V.*) placuisse, feram ita vulneratam, ut capi possit, statim vulnerantis esse, & eousque ipsius videri, donec eam persequatur, ac proinde, si per hoc tempus, quo eam persequatur, alius eam ceperit, eo animo, ut ipse lucrifaceret, hunc furtum committere. vid. *L. 5. §. 1. de A. R. D.* add. §. 13. *I. de R. D.* Illorum tamen sententia, qui non aliter eam vulnerantis fieri putaverunt, quam si eam ceperit, a Sacratissimo Imperatore Justiniano expressa firmata est lege. vid. *cit. §. 13. I. de R. D.* Quæ decisio, uti a TITIO *in Jur. priv. Lib. III. cap. V. §. 14.* add. *supr. §. VII.* recte ad Jus positivum refertur; ita sententia Trebatii, qui laudatur, & ab ipso primo Romanorum Imperatore

Longobardi vero vulnerationem requirebant. Secundum Jus Alam. §. LL Bajuvar. ratione volatiliū intra triduum, Glossam vero ad Jus Weichbild. ratione apium in continenti fieri debebat. Vulneratio igitur, vel defatigatio imo sola excitatio jus aliquod in feram tribuebat, secus ac in re Romano; licet contrarium senserit Cicero Trebatius,

Germanico
tamen &
Romano ju-
re persecutio
in invito
domini fun-
dum fieri
poterat.

Persecutio
ferarum
adhuc hodie
obtinet.

dissentiente
licet Schnei-
derwino,

ubique fere
locorum.

v. g. in Haf-
sa nostra,

in Ducatu
Megapolita-
no.

in Gallia.

tore Augusto in confilium adhibiti, vid. *pr. Inst. de codicill.* ut & antea allegata veterum Germanorum leges simplicitati & æquitati naturali magis conveniunt. Sed in eo una eademque est Juris Romani & Germanici dispositio, quod fugientis fera persecutio in alterius fundum etiam invito domino fieri potuerit.

§. XIII.

Cum igitur majoribus nostris frequens adeo & omnibus permessa fuerit persecutio ferarum, quid mirum? si eidem adhuc hodie locum demus, nec faciamus cum SCHNEIDEWINO *ad §. 12. Inst. de Rer. div.* hoc jus sequelæ in plerisque locis abolitum esse contendente: contradicunt ei nobiscum præter plures alios BECK. *de Jurisd. forest. cap. XIII. §. IV.* WEHNER. *Obs. pract. voc. Forst-Recht. cc. fin.* a SECKENDORF *im Teutschen Fürsten-Staat part. III. cap. III. Regal. V. n. 6.* BESOLD. *Thef. pract. voc. Jagen.* & *in contin. voc. dem Wild nachzusehen*, qui hodie ubique fere locorum in Germania hanc sequelam obtinere ajunt, testisque etiam hujus rei est Hassia nostra, quæ in quamplurima adjacentia aliorum Constatuum territoria, v. g. Hasslo-Cassellanum, Dillenburgense, Weilburgense, Wittgensteinense, Colonienfense, Berlenburgense, Gedernense, Braunfelsense, Laubacense, Waldeccense, &c. hanc sequelæ venatoriæ servitutem exercet, & in Ducatu Megapolitano jus sequelæ expressa lege in denen Lande Reverfalien confirmatur, referente LEYSERO *in Med. in ff. spec. CCCCXLI. med. XI.* qui in Gallia illud etiam obtinere, ex RENATO CHOPPINO *de Legibus Andium Lib. I. c. 32. n. 4. seq.* tradit. Jure tamen Saxonico Elector. per Lande Ordn. de anno 1555. tit. daß keiner auf des andern Grund und Boden jagen, heßen, Hünner fahen, oder ander Weidwerck treiben solle.

solle. §. So wollen wir zc. verb. Daß ein jeder mit Jagen, Hetzen, und Weidenwerck zu treiben, auf seinen und seiner Leuthe Eigenthum bleiben, und eines andern Güther damit nicht berühren soll, ungeachtet einiges Einwendens, daß es anders hergebracht, und im Brauch gehalten; alles bey Pön hundert Gulden, so oft einer gegen den andern dießfals verbricht, und solches überfunden, und nicht leugnen kan zc. Sequela hæc penitus prohibita vulgo creditur, eamque videtur constitutionis non obtinere, semel iterumque judicatum esse refert Lib. Bar. a WERNHER *Obs. for. part. VII. obs. 67. n. 16. 20.* qui tamen & ipse recte subductis rationibus secundum alleg. constitut. aliud obtinere debere contendit. vid. d. *Obs. 67. n. 12. seqq.* conf. THOMAS. in not. ad Srauch. *Dissert. ad Jus Justin. VI. th. 28. verb. & persequi licet.*

Jure tamen Saxonico Electorali vulgo plane prohibita creditur.

quod ab aliis negatur.

§. XIV.

Sed pro hodierno rerum statu, qui nimium quantum mutatus est ab illo pristino, dicendum est, nemini illam licere, nisi qui speciali titulo, lege, consuetudine vel præscriptione eandem sibi competere docere possit, (*§. VII.*) adeo ut quamvis jus venandi certos intra limites concessum sit, exinde tamen non satis tuto concludi queat, venatori feram hic excitatam, & extra fines illos fugientem persequendi jus esse. Nec alicujus ponderis est, quod objicis, privilegia ratione concedentis esse latissime explicanda per *L. 3. C. de Legib.* atque sequelam hanc venatoriam, cum ipso jure venandi connexam, & in ejus consequentiam executionemque semper tacite concessam intelligi debere, utpote qua deficiente ipsa venatio facile irrita & frustranea foret: Diversa enim hæc sunt jura, & aliud est venatio, aliud est sequela venatoria,

Attamen pro mutato hodierno rerum statu nemini licet, nisi qui sibi eandem competere docere potest, nec concessio jure venandi illa comprehenditur, nec obstat, quod privilegia latissime sint explicanda. Diversa enim sunt jura, venatio,

io & ferarum persecutio,

neque regula hæc generaliter vera est,

hinc idem etiam de venatione civibus nostris Academicis concessa dicendum erit.

Principis intentio ratione persecutionis in aliorum terras, intra fines territorii sui sitas, semper fundata est,

toria, (§. IV.) quarum quælibet separata satis commode, tametsi non æque plene ac conjuncta, exerceri potest: inde ab illa ad aliam non valet consequentia, est enim utraque, si in alieno competit, species servitutis, servitutes autem strictam admittunt interpretationem. MEV. P. III. Dec. XXXVI. n. 3. Nec regula de explicandis latissime Principum privilegiis generaliter vera, sed quod satis notorium est, tum maxime suas patitur exceptiones, si de interpretatione & exercitio regalium alicui concessorum incidat quæstio, arg. L. 15. §. 26. ff. de injur. BERGER. Oecon. Jur. Lib. I. Tit. I. §. 25. n. 3. THOMAS. Diff. de interpretat. privileg. Princip. §. 417. omnino igitur negandum erit, vasallum vel subditum, cui jus venandi ex concessione & beneficio Principis certis finibus coarctatum competit, feram in foresta principalia, vel extra terminos præstitutos fugientem persequi posse, vid. a SECKENDOFF in Teutschen Fürsteno Staat pag. 410. BECK. de Jurisdic. forest. cap. XIII. §. IV. id quod etiam quoad venationem Civibus nostris Academicis singulari plane Serenissimorum longeque Clementissimorum Dominorum Fundatorum Nutritorumque gratia concessam verum esse existimamus, ita ut Studiosi nostri venatores, feram extra terminos designatos fugientem, pedem figere, eamque desertricem aliis occupandam relinquere debeant.

§. XV.

E contrario utique fundata semper est intentio Domini territorialis, sequelam ferarum in prædia, terras & sylvas Nobilium aliorumque, intra limites territorii sui sitas, asserentis, donec hi eandem ipsi non competere probatum dederint, quod adeo verum putamus, ut quamvis jus venandi certis in locis privative alicui concessum sit

fit (aliter enim quam expressa vel tacita Principum concessione venationem privatis competere, in dubio hodie præsumi non potest:) concedens tamen credendus non fit, suo se jure adeo abdicavisse, ut nec hanc sequelam sibi reservare voluerit, quia, uti paulo ante dictum, talismodi concessiones sunt strictæ interpretationis. Sunt igitur maxime Principes, quibus jus persecutionis ferarum competit, id quod duplici modo exerceri solet, nimirum (a) vel *jure superioritatis territorialis*, vel (b) *jure constitutæ servitutis*. ILLA RATIONE in prædiis intra fines territoriorum suorum sitis, cujuscunque demum conditionis sint illorum possessores, tametsi jure venandi in iis non gaudeant, sequelam hanc exercent: HAC vero RATIONE in alieno eoque vicino territorio illa utuntur. Nemo tamen existimaverit, hanc persecutionem ferarum privatis nos plane denegare, eosque illius expertes & incapaces haberi velle, quin potius iis etiam contra ipsos Principes in horum foresta competere posse affirmamus: nec quidquam impedit, quo minus nobilis, aliisque privatus, venationis compos, alii jus feram excitatam, & in suum bannum ferinum fugientem persequendi concedere queat.

§. XVI.

Conceditur hæc sequela (1) vel *Legè aliqua publica*, quod non tantum Romano, sed etiam antiquis germanorum juribus, speciatim Alamannico & Saxonico factum esse constat, quod posterius adhuc hodie in Saxonia saltem non Electorali ita obtinet, ut qui jure venandi gaudet, feram in alterius nemora fugientem ea, quam hoc jus præscripsit, ratione, persequi possit. vid. RICHTER. *Dec. XVI. n. 4.* vel (2) *ex pacto expressa voluntate* inito, cujusmodi concessionis exemplum præbuit Lotharius II. Im-

licet illis jura venandi ibidem indulserit.

Statibus Imperii persecutio competit vel jure superioritatis territorialis, vel jure servitutis.

Possit tamen etiam alius, qui non sunt Status Imperii, competere.

Conceditur hoc jus persecutionis vel (1) legè aliqua publica.

Vel (2.) conventionione expressa,

*Cujus addu-
cuntur ex-
empla.*

perator, qui monasterio Eltensi, confirmatis anno 1134. ejusdem privilegii, sequela hujus ferarum copiam dedit his verbis: „ad hæc pertinent quatuor foresta, Steu-
„ er Wald Meffel, Welchmarlas, in his quatuor fore-
„ stis cervum vel cervam nullus habeat venandi licenti-
„ am, nisi verbo & Abbatissa consensu, & si cervus vel
„ cerva de his effugiat forestis, eos in alios sequi sit li-
„ centia &c. vid. TESCHENMACHER. *in Cod. Diplom. Clivens. pag. 29. seqq.* Aliud concessionis expressæ exemplum lege sis in conventionione inter Mechildem, olim Comitissam Saynensem ex una, & fratres de Spanheim
„ ex altera parte, ubi ita cautum legitur: Item consen-
„ timus, quod si Comitissa inceperit agitare, quod vul-
„ gariter dicitur Sprengen aliquam feram in terra sua
„ vel sylvis suis, quæ vulgo Wildban dicuntur, & illa
„ in terra nostra, vel sylvis nostris Wildban vocatis,
„ capta fuerit, sua erit. Similiter si fera fuerit agitata
„ in terra nostra, vel Wildban, & in terra Comitissæ,
„ vel sylvis suis, Wildban dictis, capta fuerit, nostra
„ erit. Hæc similiter observabuntur, si homines Comi-
„ tissæ, de mandato suo agitaverint, vel nostri homines
„ de mandato nostro agitaverint. vid. *Docum. integrum in dem kurzen doch gründlichen Bericht derer Streitigkeiten zwischen Sayn und Chur. Trier edit. ann. 1632. lit. B. p. 67. seq.* Ex quibus patet persecutionem ferarum hic contractu innominato facio ut facias, vel si mavis, patior ut patiaris, esse concessam: Sed & aliis quibuscunque conventionibus, contractibus, & titulis, ad constituendum jus in re habilibus illam acquiri posse, nemo inficias ire sustinebit. conf. *g. fin. Inst. de servitut.*

§: XVII.

§. XVII.

Vel (3) *Tacitactiam voluntate*, quam præscriptio inducit, multis in locis hoc jus exercetur, quod autem annorum lapsus ad ejus præscriptionem requiratur? non adeo expeditum est, ad cujus quæstionis, decisionem vix alia ad subsidium adhiberi possunt principia, quam quæ ex Jure Romano & Canonico de præscriptione servitutum, in quarum censum etiam illam, de qua agimus, sequelam retulimus (§. IV.) haurire licet. Nimirum hoc Jure tam certum est, quam quod certissimum, servitudes si-
 ve reales si-ve personales, si-ve continuas si-ve discontinuas, longo tempore inter præsentem decem, inter ab-
 sentes viginti annorum præscribi, *L. f. inf. C. de long. temp. præscript. L. 10. pr. si servit. vind. arg. L. pen. C. de servit. junct. L. 16. C. de usufr. & L. 35. de R. I.* concurrente eo usu, ubi servitus a non Domino constituitur (quam præ-
 scriptionem ordinariam dicunt) bona fide & justo titulo, *Pr. J. de usucap. cit. L. f. C. & L. 24. C. de Rei vind.* ubi vero quis contra ipsum dominum præscribere velit (quam alias præscriptionem extraordinariam dicunt) sola hujus scientia sufficit, nec alius titulus necessarius est, ad hanc tamen longissimi temporis, nimirum 30. annorum possessio vel quasi requiritur, *L. 8. §. 1. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Id quod facili nunc negotio ad sequelam nostram ita applicamus, ut, si vel soli privati, vel ipsi Principes inter sese invicem de hac quæstione contendant, in ordinaria præscriptione præter bonam fidem & titulum, longi temporis, in extraordinaria vero triginta annorum lapsus, & scientia ejus, contra quem præscribitur, requiratur. Quam decisionem si non omnes, quam plurimi tamen textibus & analogiæ Juris Romani consentaneam esse largiuntur; sed quod præxim attinet, tam veterioris

*Vel (3.) vo-
luntate ta-
cita per præ-
scriptionem.*

*quot autem
anni ad eam
requirantur
decidendum
ex jure com-
muni,*

*secundum
quod servi-
tutes a non
domino bona
fide & justo
titulo consti-
tuta X. vel
XX. annis*

*Ubi vero so-
la domini
scientia con-
currit,
XXX annis
præscribitur.*

*Quod appli-
catur ad
persecutio-
nem fera-
rum.*

Quoad præ-
xim ad præ-
scriptionem
servitutum
discontinua-
rum, multi
requirunt
tempus im-
memoriale.

A quibus
alii dissen-
sunt,

Et cum hic
in dubio est
faciendum.

terioris quam recentioris ætatis Jcti in eam magno numero abeunt sententiam, quod servitutibus discontinuis (quibus sine dubio sicuti ipsum jus venandi in alieno fundo, ita & persecutio ferarum, dissentiat licet KLOCK. *Tom. I. Conf. XXIX. n. 449.* accensenda venit) non præscribatur, nisi tanto tempore, cujus initii non extat memoria in contrarium, cui sententiæ præter alios favent SICHARD. *ad L. 1. C. de servit. CÆPOLL. de servitut. C. XX. n. 7.* CORAS. *Lib. V. C. V. n. 1.* HOTTOMANN. *Lib. IV. Obs. 2.* PRUCKMANN. *de Regal. cap. II. n. 12.* GAIL. *Lib. II. Obs. LXVI. n. 7.* MEV. *P. IX. Dec. CLXV. n. 9.* LAUTERB. *C. th. Pr. tit. de servit. §. 13.* HERT. *Vol. II. Dec. C. n. 3. Dec. CCCXXXV. n. 3.* BRUNNEM. *ad L. fin. C. de servit. n. 11.* Negari tamen haud potest, etiam illorum sententiam, qui pro ordinario præscriptionis servitutum discontinuarum tempore pugnant, multis firmari præjudiciis, vid LEYSER. *Med. ad ff. Spec. CIIX. Med. 1.* BERGER. *Elect. Disc. for. in Supplem. Part. II. pag. 343.* LYNCKER. *Vol. I. Resp. LXV. n. 70.* COCCEJ. *Jur. Controv. tit. de divers. temp. præscr. Quæst. III. in fin.* In hoc ergo sententiarum divortio, præ eosque cum praxi pugnantia, tutum omnino videtur nobis, non obstante *L. 3. §. 4. ff. de aq. quot. secundum L. fin. in f. C. de servit.* aliosque paulo ante citatos textus affirmare, quod, ubi contrarium, vel expresse vel tacite non est introductum, ad servitutum discontinuarum, adeoque etiam sequelæ venatoriæ præscriptionem ordinarium tempus, scilicet positis terminis habilibus, vel 10. vel 20. vel 30. annorum sufficiat, quod pluribus argumentis contra dissentientes probat COCCEJ. *cit. loc. & WESENBECH. ad ff. tit. de servit. §. 5.* Si vero privatus v. g. Nobilis contra principem hoc jus præscriptione acquirere velit, ea de cau-

sa

sa tempus immemoriale necessarium esse contendimus, quoniam est species venationis, & proinde hoc respectu ad regalia referendum, ad quorum præscriptionem ex unanimitate fere omnium Juristarum doctrina tempus immemoriale requiritur.

§. XVIII.

Quum jus persecutionis ferarum, sit species servitutis (§. IV.) servitutes autem strictam recipiant interpretationem, quia servienti nimis grave & intolerabile foret, si is, cui debetur, ea absque omni restrictione liberissimo arbitrio uti vellet & posset, consequens est, ab eo, qui gaudet hoc jure, non aliter exerceri illud posse, quam eo, qui vel lege publica vel consuetudine, vel pacto, vel præscriptione dictus, hætenusque observatus est, modo. Quemadmodum vero apud veteres germanos, ita adhuc hodie diversis in locis diversissima competere solent ratione: In quibusdam scilicet provinciis indefinite sine ulla ad certum aliquod tempus restrictione, (quod ex Lege Salica, Alamannica & Saxonica derivandum videtur (§. X.) in aliis vero saltem intra certum v. g. viginti quatuor horarum (quod Legi Longobardorum consentaneum est (§. X.) vel duorum, vel trium (quod Jus Alamannicum ratione volatilium permittebat, (§. X. inf.) dierum spatium feram fugientem persequi licet, uti de Bavaria constat aus der Bayerischen Jagd- und Forst-Ordnung cap. 3. ibi: Wir ordnen auch, da jemand, der Erb- oder Gnaden-Gejäger hat, ein Thier in seinen Gejägtern verwundet, er denselben auch in ein ander Gejagt mit Leit- und Blut-Hund auf ebenem Land bis an dem andern, aber in Gebürg den dritten Tag nachhängen möge etc. add. BECK. tract. de Jurisd. Forst. drupedum, cap. XIII. §. IV. Alibi competit tantummodo ratione ferarum

Persecutio modo præscripto reciperi debet.

Diversa enim ratione adhuc hodie competit. In aliis locis ad nullum, in aliis ad certum tantum præscriptum.

Alibi competit tantummodo ratione ferarum. Alibi etiam ratione volatilium.

*Alibi vulne-
ratio fera
requiritur.*

*alibi defati-
gatio.*

*alibi sola ex-
citatio suffi-
cit.*

*Alibi cum,
alibi sine in-
flatu corni-
culi venato-
rii, incita-
tione canum
& bombardæ
displosione.*

*Alibi libe-
rius, alibi
restrictius
exercetur.*

rarum quadrupedum, alibi etiam ratione bipedum five volatilium (quod Jus Alamannicum constituebat (§. X. in f.) imo & ratione piscium, apiumque sylvestrium. Hic exercetur hoc jus saltem ratione fera, in territorio persequentis jam vulnerata (quod Lex Longobardorum & Constitutio Friderici requirebat (§. X.) extatque formula concessionis ad vulnerationem restricta apud AHASV. FRITSCH. *de venat. precer.* §. 5. Illic etiam intuitu bestia saltem adlata, five ad languorem usque defatigata, quod etiam Lege Salica & Alamannica sufficebat (§. X.) Hic vero nil præter solam excitationem, ut Jure Saxonico (§. X.) desideratur. Alibi persecutio ferarum competit ita ut fiat sine inflatu corniculi venatorii, incitatione canum, & bombardæ displosione (quod quodammodo ex speculo Saxonico repetendum (§. X.) alibi vero cum ipsa sequela etiam inflatus ille, excitatio canum, bombardæque displosio licita est. Alibi liberius, alibi restrictius est sequela venatoriæ exercitium, quam in rem dignum omnino, quod hic annotetur, hujus sequela lberis Baronibus, Dominis de RIEDESEL in quibusdam Hassiæ locis competentis exemplum, ab Illustr. KREBS, Augusti Judicii Cameralis, dum viveret, Assessore Doctissimo, in tract. *de ligno & lapide part. I. class. XI. sect. 7. §. 2.* relatum, cuius verba, ex antiquo quodam protocollo deprompta, quum ad ulteriorem dictorum illustrationem optime faciant, hic adijcienda videbantur: *Die Riedeselsche, wo sie an die Hessische Wild-Bann stossen, haben ihre Wälde mit Wild-Hecken oder Zäunen umgeben, weil aber in solchen Wild-Hecken an verschiedenen Orten offene spatia, Lücken oder Schlüffen, und in solchen Hecken unterschiedliche kleine Pforten, dardurch das Wild seinen Ab- und Zugang hat, so müs-
sen*

sen die von Riedeseln, wann sie jagen wollen, solche offene spacia mit Wild-Garn, und die kleine Pforten mit Garn-Säcken, an welchen ein Seil, daran ein starker Prügel überzwerch gebunden, zu stellen. Wann nun in dieselbe Garn-Säcke etwas einliefte, und damit auf Hessischen Grund und Boden durchbräche, bliebe ihm der Garn-Sack am Hals und den fördern Beinen hengen, und der Prügel folgete am Seil immer hinten nach, bis es durch den Prügel in den Hecken, oder zwischen den Bäumen gehemmet würde, da dann diejenige, so auf die Pforten bestellet, nachfolgten, und das gehemmte Thier also in dem Seil, oder Garn-Sack auf Hessischem Grund und Boden fiengen, und dieses seye und heiße die Folge, so man auf Seiten der Fürsten zu Hessen denen Riedeseln gestünde: Und was bey solcher Folge gefangen, müsse zuorderst dem Hessischen Förster angezeigt werden, wann es alsdann im Augenschein von demselben also befunden würde, so hätte man es ihnen von Alters her folgen lassen, wann auch gleich der Hessische Förster nicht sobalden bey der Hand gewesen, hätten doch die Riedeselsche solch Thier vom Hessischen Grund und Boden nicht ehender abführen dürfen, es habe dann der Förster selbiges zuvor recognoscirt, und befunden, daß es das Wahrzeichen der Folge, nemlich den Garn-Sack, Seil oder Prügel (so deshalb ein Folger genennet werde) am Hals gehabt habe. Solches alles hätten davor die von denen Riedeseln producirte Zeugen einhelliglich miteinander deponirt und ausgesagt, dahero auch denselben keine andere Manier von Folge gestanden würde &c.

§. XIX.

Ad diversimodum hujus juris exercitium & hoc

D 2

per-

Alibi o vestigio & cursu continuo, alibi aliter fieri solet & debet. pertinet, quod multis in locis venator fugientem feram e vestigio, & uno cursu continuo non intermisso sequi debeat, auf frischer That, daß er den Anschuß oder Aufstand auf dem Seinigen sichtbarlich beweisen könne, vid. a SECKENDORF *Teutscher Fürsten Staat* pag. 410. BESOLD. *continuat. voc. dem Bild nachteilen.* In

Alibi semper, alibi certis saltem anni partibus exerceri potest. aliis vero aliter observari solet, sufficitque, si intra præfinitum tempus cursu licet non continuo fiat, ita tamen, ut si postero die persequi velit, id ipsum vicinis Saltuariis indicandum sit. a SECKENDORF *d. l.* Alibi certis saltem anni partibus, quibus alias venari moris est, alibi vero singulis mensibus & diebus permissum est. In

Alibi unus saltem, alibi plures persequuntur. nonnullis regionibus ita obtinet, ut bestiam profugam non nisi unus insectari debeat venator, in nonnullis persequi quot velint, possunt. Et quoniam circa hanc sequelam facilis existit varias fraudes committendi, ejusque prætextu alienas feras occupandi occasio, venatores in loco, unde bestiam persequi cœperunt, pilcum, vel defractum ex arbore ramum, ignem, aliudve signum in rei testimonium ponere solent: quamvis enim alias per vestigia sanguinis ex vulnere profluentis, feram ex fundo persequentis fugisse ostendi queat, iis tamen maxime in locis & casibus, ubi feram etiam nondum vulneratam persequi licet, positio talis symboli, si non necessitate, sua saltem se commendat utilitate. BECK. *de Jurisd. forest.* cap. XIII. §. 4. BEYER. *Delin. Jur. Germ. Lib. II. cap. II.*

Alibi persecutio saltuario denuncianda est. pos. 75. eademque de causa quibusdam in locis receptum est, ut persecutor feram fugacem illius foresti, in quod sese desertrix recepit, saltuario, omnes circumstantias accurate exploraturo, id ipsum confestim denunciaret, huncque sibi comitem ire patiatur: Alibi vero denunciatio captâ demum ferâ fieri solet, eamque saltem citius, quam saltua-

faltuarius accesserit, tollere non licet. Opportune nobis hic fit obviam ordinatio venatoria Saxo-Querfurtensis im XII. Haupt. Punct. §. 28. seq. cujus verba non possumus quin hic apponamus, sunt autem illa sequentis argumenti: Wo die Jagd & Folge hergebracht ist, da soll solche nach der observance forst-mäßig exerciret werden, so daß dasjenige, was gehehet, oder geschossen worden, und über die Grenze gelauffen, zwar weggenommen werden möge, jedoch soll es in der Hand getragen, und nicht ehender aufgebunden werden, bis es wieder an die Grenze gebracht, wo es gehehet worden, und wenn der Hezer von einem Unserer Jagd- und Forst-Bedienten betroffen wird, ist er schuldig, das Lager demselben zu weisen. Wenn aber etwas an Wildpret, so zur Hoben- und Mittel-Jagd gehörig, bey einer berechtigten Folge angeschossen wird, und auf Unserer Grenze fällt, so soll derjenige die Büchse oder Flinte an dem Dree, wo es geschossen, niedersetzen, oder das Schloß abschrauben, das geschossene alsdenn verfolgen, und einem von Unsern am uechst-wohnenden Jagd- und Forst-Bedienten es ansagen, ihme auch zeigen, was das Wildpret vor Zeichen von sich gegeben, und wo es angeschossen, und also dergleichen Wildpret sich nicht eher annassen. Item: Mit dem Feder-Wildpret, wenn es angeschossen ist, und überflieget, wird es also gehalten, wie mit dem, was gehehet worden. Wo aber die Folge nicht hergebracht, da soll dieses alles unterlassen, oder auch also, wie es Herkommens, gehalten werden; jedoch, wenn was geschossen wird, soll es allemahl Unsern Jagd- und Forst-Bedienten angesaget werden, damit das Wildpret nicht etwa verdirbet. Imo in aliquibus provinciis facta denunciatione

D 3

*Alibi subtilis
feram ca-
pitum in per-*

*sequentis
territorium
perferre te-
nentur.*

subditi illius territorii, in quo fera agitata occubuit, ad proximum pagum in persequentis territorio situm sine ulla mercedis spe perferre tenentur.

§. XX.

*In deciden-
du igitur
controversiis
ante omnia
ad pacta &
observantias
respicien-
dum.*

*His vero de-
ficientibus
res valde
est dubia,*

*quia nulla
de his re
est univer-
salis germa-
nia consue-
tudo vel lex,
nas tutum
videtur se-
cundum ius
Romanum,
vel antiqua
germano-
rum iura
decidere
velle.*

Unde patet in decidendis controversiis circa hoc jus enatis, ante omnia ad speciales conventiones, consuetudines, & observantiam cujusvis provinciae respiciendum, & si forte praescriptione quaesitum est, dicendum esse, quod eo competat, quo haec tenus possessum est modo. Sed quid si lege vel pacto illud concedatur, talisque in hoc vel illo loco observantia deficiat, nec verba legis vel conventionis generalia modum ejus determinent, quale est exemplum §. XVI. allatum, quo paciscentes absque ulla restrictione & determinatione mutuum persecutionis jus sibi invicem concesserunt? Hoc certe casu implicata satis est de modo exercitii hujus juris quaestio, verba siquidem generalia dubiam reddunt concedentis voluntatem, neque apparet universalis aliqua germaniae consuetudo, silent Leges Imperii, neque etiam satis tutum videtur, illam secundum jus civile Romanum decidere velle. Ergone secundum antiqua germaniae jura, supra allegata §. X. & res erit decidenda? neque enim hoc affirmare ausim? Equidem sua eaque maxima his juribus olim constitit autoritas, & omnem germaniam a seculo XIII. ad XV. iisdem administratam fuisse, non immerito asserit DATT. *de Pace publ. Lib. IV. cap. I. n. 7.* Verum illa successu temporis tantopere est imminuta, ut jura ista nec in patria sua hodie aliter valere censeant, quam quantum usus & observantia eorum circa casum controversum probari queat, vid. BRUNQUELL. *Hist. Jur. part. IV. c. VI. §. 15. ibique alleg. lib. 6.* Quid igitur statuendum? id profecto, quod naturae rei, sanae rationi, fundatisque in

ea bonæ interpretationis regulis convenit. Quum autem sequela nostra sit species servitutis, & is, cui servitus debetur, omnia facere queat, sine quibus non est commodus servitutis usus, *L. 11. pr. & §. 1. commun. præd. L. 20. §. 1. de S. P. U. arg. L. 2. de Jurisdic. &* verba generaliter prolata ordinariè etiam generaliter intelligenda, *GROT. de J. B. & P. Lib. II. cap. XVI. §. 12. n. 1. PUFENDORF de J. N. & G. Lib. V. cap. XII. §. 13.* prætereaque interpretatio contra illum, qui clarius loqui vel scribere debuisset, faciendâ sit, vid. *L. 39. ff. de pact. L. 21. L. 33. de contrah. em. vend.* concludimus, (1) jus sequelæ generaliter verbis concessum, non ad certum horarum vel dierum spatium esse restrictum, sed tamdiu competere, quamdiu persecutor insistere velit & possit. (2) Bombardam etiam displodere, (3) canesque venaticos incitare licere, (4) persecutionem tam cursu continuo, quam intermissò, & (5) tam in loca sylvestria, quam campestria, (6) ab uno vel pluribus venatoribus fieri, (7) nullas remoras aliave impedimenta objici posse, denique (8) non obstringi persecutorem, ut saltuario illius banni, in quo fera agitur, capturam ejusdem denunciet, quare contra illum, qui hanc denunciationem præviam requirebat, recte pronunciatum est apud **RICHTER. Dec. XVI. n. 4.**

§. XXI. Porro exinde conficitur (9.) non posse illum, in cujus fundo persecutio fit, feram, quam alter persequitur, præoccupare: quæ sententia præter alios etiam probatur **BECKIO de Jurisdic. forest. cap. XIII. §. IV. SCHNEIDERO de Jure præventionis circa venat. §. 18. RULANTO de Commissar. Part. IV. Lib. II. cap. VIII. n. 48.** Sed contradicit celeberr. **LEYSER. Medis. ad ff. Spec. CCCCXXI. med. XI.** cum alleg. a se **PRUCKMANN. de Venat. cap. VI. n.**

In dubio juris hujus generaliter concessi, generale debet esse exercitium, non ad certum tempus restrictum. Bombardam etiam displodere, canes incitare, continuo & intermissò cursu in loca sylvestria & campestria uni vel pluribus persequi, nec ulla impedimenta objicere licet, neque necessario denunciatio fieri debet. Nec potest dominus territorii servientis feram, quam alter persequitur, præoccupare. Dissentientis Leyseri sententia.

117

17.

17. *seqq.* contendendo; occupantem propterea præferendum esse, quod persequenti; postquam fera ex fundo ejus excessit, dominium nullum in eam competat; sed potestas illam capiendi saltem ex humanitate indulgeatur, quum ergo jus nullum in ipsam bestiam habeat, dominum fundi, siquidem is dominio suo uti, & feram capere malit impedire non possit: hisque rationibus præjudicium Facultat. Helmstad. subjicit. At enim hæc assertio, quod pace tanti viri dictum sit, nequidem *Jure Romano* promiscue vera, multo minus *antiquis germanorum legibus* consentanea, imo ipsi *natura & indoli* hujus sequelæ ferarum contraria videtur: Quandoquidem ipsum *Jus Romanum* distinctionem admittit inter *feram fugientem, qua nondum ab aliquo capta fuit, & inter aliam, qua jam capta custodiam capientis iterum evasit.* Quod illam de jure civili bene omnino sentit LEYSER. strenuum suæ opinionis defensorem nactus ipsum Justinianum in §. 12. *Inst. de Rer. Div.* quoad hanc vero defensoris sui ope deditur, causaque in §. 12. *Inst. d. tit.* contra ipsum ita dicitur, ut jus capientis in fera occupata, sed ejus custodiam evadente, tamdiu salvum sit, quamdiu oculos ejus nondum effugit, vel adhuc facilis ejus est persecutio. Ponamus ergo feram captam evadere capientis custodiam, nec dum oculos ejus effugisse, facilem quoque adhuc esse ejusdem persecutionem, ab alio vero eandem præoccupari. Certe non præoccupantis, sed priori domino restituenda erit, adeoque tantum abest, ut de *Jure Romano*, illa indistincte præoccupanti adjudicari queat, ut potius priori domino eandem, quocumque velit & possit, persequi liceat, atque præoccupans hoc in casu furti reus fiat. *Antiquis germanorum Legibus* feram fugientem, siue nondum capta fuerit, siue custodiam illius, qui

qui ceperat, iterum evaserit, a nemine quamdiu alter eandem persequeretur, occupari potuisse, satis, ni fallimur ex iis, quæ supra §. X. & XII. latius exposita sunt, constat. Denique etiam ipsa natura sequelæ nostræ, ita nec indolē hujus jura convenire videtur. comparata est, ut doctrinam Dn. LEYSERI respuat: non enim, quod ille sibi persuasit, ex sola humanitate, sed jure quodam servitutis exercetur, hoc saltem præsumendum erit, donec alter contrarium probet, precarium namque non præsumitur, & quilibet in dubio potius creditur nomine proprio quam alieno possidere: & si vel maxime concessio hujus juris præcaria præsumenda esset, ejus tamen usus, utpote cujus solius gratia precarium constituitur, ante ejus revocationem intercipi vel impediri non deberet. *L. 1. pr. L. 21. ff. de precar.* sed si feram fugitivam præoccupare liceret, certe usus hujus juris alteri prorsus inutilis reddi posset, adeoque re ipsa nihil concessum foret. Alii quidem Juris venatorii DD. propius ad nostram accedunt sententiam, feram profugam inter capientem & persequentem dividendam esse arbitrati, nisi vulnus eidem inflictum adeo lethale sit, ut nihil accidere possit, quin ea a vulnerante persecutore capiatur, vid. SEBAST. MEDICES *de venat. Part. II. quest. 18.* Verum nec hæc decisio nobis placet.

§. XXII.

Persecuturus tamen caveat, ne hoc jure aliter, Persecuturus non aliter hoc jure utatur, quam natura ejus, & arti venatoria congruis. quam natura ejus, vel arti venatoriæ convenit, utatur, & vicino, cujus concessione illud exercet, nimium gravis existat, servitutes enim, ultra id quod proprium cujusque est, non extenduntur, & earum usum ullo modo duriores reddere non licet, *L. 20. §. 5. de servit. præd. urb. L. 5. §. 1. inf. de S. P. R.* unde sua sponte consequitur (1) non licere persequenti, nisi aliud conventum vel

II

mori-

*Hinc in du-
bio nec cor-
niculum ve-
natorium in-
inflare,*

*nec tempore
alias probi-
bito per-
sequi,*

*nec prae-
textu
huius juris
aliam frau-
dem com-
mittere licet.
Signi tamen
positio omni-
no necessaria
non est,*

*nec subditi
feram ca-
ptam alio
deferre te-
nentur.*

*Etiam de
bestiis ipsis,
quas perse-
qui licet, res
non ubique
est expedita,*

moribus receptum sit, corniculum venatorium inflare, quia & sine hujus inflatu sequela illa commode exerceri potest, idque nihil ad capiendam bestiam fugitivam facit, quare a permessa nebrophonorum incitatione ad hunc inflatum deargumentari non possumus, (2) non licere hanc sequelam eo tempore, quo alias venationes interdicta sunt, v. g. zur Sect. Zeit, & diebus feriatis &c. (3) Persecutorem nulla ratione, obtentu hujus juris in alienas sylvas irruere, feramque in suo non excitatam in iisdem occupare posse, & (4) quaecunque aliam fraudem abesse debere, attamen (5) positionem signi alicujus in loco excitatae ferae necessario non requiri, quandoquidem tale signum non omnino rem certam reddit, sed eadem facilitate hoc qua alio, ponitur loco, coortaque de eo controversia, alia etiam probationes longe certiores, feram in suo esse excitatam, suppetere possunt. (6) Subditos illius territorii, in quo sequela exercetur, in dubio non teneri bestiam a persecutore captam alio deferre, sed ipsum propriis sumtibus & meliori, quo potest, modo ut tollatur, & quo velit, perferatur, curare debere.

§. XXIII.

Sicuti autem, quod ex antecedentibus constat, modus persecutionis ferarum pro diversitate provinciarum diversus est, ita de bestiis ipsis, quas persequi liceat, nec mores germaniae, nec Juris venatorii DD. conveniunt. Plurimi quidem ut persecutio locum habeat, requirunt, feram jam in persequentis territorio esse vulneratam, daß das verfolgte Wild schweisse, & si vulneratio non praecesserit, eam non licere, ingrediuntque alterius territorium armata manu resisti posse ait WOLFART Diff. de eo quod in german. Just. est circa Bann. fer. cap. IV. §. 16. neque negari potest, moribus constitutionibusque qua-

run-

rundam provinciarum ad effectum persecutionis vulnerationem omnino esse necessariam. (§. XVIII.) Hisce vero deficientibus, atque sequela generalibus plane concessa verbis, porro ex regulis (§. XX.) traditis deducimus, (1) illam in dubio non tantum ratione feræ vulneratæ, In dubio igitur persecutio permissa est tam ratione feræ vulneratæ, quam defaigatæ, vel saltem excitatæ, vel delassatæ, sed etiam qualitercunque saltem excitatæ, & aliorum auffugientis concessam intelligi, in cujus majorem fidem argumenta jam supra §. VI. VII. & XII. proposita huc repetita volumus: multo magis (2) jus persequendi competere intuitu illius, quæ jam laqueis castibusve irretita effugit, conf. L. 55. ff. de acquir. rer. dom. vel (3) quæ jam occupata manibus capientis elabitur salva: nulla (4) distinctione habita, an in fundo plene vel minus plene proprio, usufructuario an locato, precariove concessa, vel (5) ab ipso persequente an ab alio excitata sit, an ultro se in fugam conjecerit: sive (6) fugitiva sit majorum, sive minorum ferarum numero. (7) Licere illam in alieno deprehensam sive vivam, sive mortuam occupare. (8) Sequelam etiam quoad volucres potissimum majores, v. g. tardas, tetraones, phasianas, anates, gallinasque feras, permissam esse: quamvis enim alias concessa venatione aucupium contineri, a pluribus recte negetur, & proinde non sequatur, quod qui jus venandi, is etiam aucupium habeat, vid. WEHNER. *Obs. pract. voc. Vogel-Heerde.* HARPRECHT. *Diss. de jur. venand. precar. pag. 45.* attamen hoc nunc non agitur: sed de eo est questio, an non is, cui venationem strictè dictam & aucupium competere certum est, jus sequelæ absque ulla restrictione concessum etiam ratione volucrum exercere queat? id quod haud dubii affirmamus, quoniam magna est inter concessionem venationis, & persecutionis ferarum differentia, quippe hæc non tantum, quantum illa,

Et pisces
quoque il-
lam compe-
tere dicen-
dum est.

concedenti affert incommodum, quapropter ab una ad
aliam non licet argumentari: Præterea hæc volatili-
um persecutio antiquis germanorum juribus optime congruit,
vid. §. X. in fin. Quin imo (9) iisdem quoque rationi-
bus persecutioni piscium ex hac in alienam aquam natan-
tium locum damus, modo idenditas vel ex vulnere in-
flicto, vel alio probari possit modo. conf. *supr.* §. XI.

§. XXIV.

Apes etiam
persequi
licet.

Insuper hoc jus haud dubie etiam quoad apes lo-
cum invenit, circa quas tamen præmonendum venit, hic
non esse nobis quæstionem de apibus, quæ victus compa-
randi causa mane evolantes, vesperi domum sua sponte
revolant, finemque laboris sui sole metiuntur, hæ enim
ex consuetudine abire & redire solent, & animum rever-
tendi habent, indeque jus prioris domini, sive eas perse-
quatur sive non, in illis salvum ac illæsum durat, & illas
animo lucrandi vel nocendi occupans, furti vel L. Aquil-
iæ actione tenetur. *arg. §. 15. Inst. de Rer. div. L. 8. §. 1. ff.*
fam. ere. §. 13. Inst. de L. Aquil. De eo autem quærimus,

gregatim
evolantes,
& adiculas
suis destitu-
tas relin-
quentes.

(a) si apes alveo incluse conjunctim & gregatim, ut loqui amat
BERLICH, *part. V. concl. L. n. 16.* evolent, adiculasque suas
plane destitutas relinquunt: vel (b) nova apium soboles, quam
parentes suis alvearibus ad alias sedes parandas exire cogunt,
effugiat, an & quatenus prior dominus easdem persequi possit?
Irritum utique foret, multis hic de animo harum apium
revertendi disceptare velle, utpote quem binis hisce in
casibus illis deesse quivis facile intelligit, saltem illas hunc
animum non habere præsumendum erit, quia vix pro-
batum dabitur, tale examen ad pristinos unquam sua
sponte rediisse lares: distinguendum autem esse arbitra-
mur, an examen præsentem Domino, aut ejus familia effugiat,
& per.

Distinguen-

Et persecutio ejus in continenti fiat; an vero eo inscio & ignorante evolet, & persecutio ejus differatur.

§. XXV.

Priori casu, si scilicet persecutio in continenti fiat, manet ejus, cujus antea fuit, qui, ut lubet, nulla ad certum horarum vel dierum numerum habita ratione illud persequi, & clangore facto, aliisve, quibus voluerit mediis, revocare potest, adeo, ut dum ipse persequitur, nemo alius, ne quidem ipse illius, in qua confedit, arboris dominus, illud præoccupare queat, quoniam si fera potestatem & custodiam, domini sui effugiat, & hoc vidente & insequente ad alium veniat, non difficilis ejus dici potest persecutio: Quare prior dominus jus suum non amittit, & vicinus, aliusve, ad quem illa pervenit, pati tenetur, ut ille recipiendarum apium causa ipsius fundum ingrediatur, aut illas præoccupatas, alvearioque forte jam inclusas, nisi furti reus fieri malit, restituere debet. §. 14. *Inst. de Rev. Div. cit. L. 3. §. 1. fam.erc.*
THOMAS. *in not. ad Stranch. Diss. VI. ad Jus Just. th. 23.*
Nec contraria nobis sunt verba cit. §. 14. finalia, quibus domino fundi conceditur facultas prohibendi alium ab ingressu in fundum suum: si enim penitus eadem considerentur, de illo, qui includere nititur examen, quod antea ad ipsum plane non pertinuit, non vero de priori domino, ex cujus alveari apes evolaverunt, commode intelligi posse, & dicendum videtur, dominum fundi omnino pati debere, ut hic ad includendas apes illum ingrediatur, per L. 5. §. 4. ff. de A. R. D. quandoquidem qui evolantes apes statim persequitur, id facit, quod jura permittunt, vid. cit. §. 14. Inst. de R. D. adeoque jure suo utitur, nec alteri facit injuriam: Imo ne ullo quidem incommodo dominus fundi afficitur, resarcitionem

E 3

damni,

dum tamen est secundum ius Romanum, at presente & statim persequente domino astringant, an vero eo inscio & ignorante.

Priori casu persecutio sine dubio locum habet, etiam in invitum domini fundum, qui si præoccupavit, restituere tenetur.

respondetur ad dubium ex §. 14. Inst. de Rev. div.

damni, si quod fortassis exinde contigit, a domino apium petiturus: favet eidem quoque regula *L. 2. §. 5. ff. de aq. & aq. pluv.* quod tibi non nocet, & alteri prodest, ad id potes compelli. Si vero verba *d. §. 14.* finalia de ipso apium domino intelligenda forent, certe eo nomine notandus videtur Tribonianus, quod huic non tantum facultatem persequendi concedat, quamdiu examen est in ejus conspectu, & non difficilis persecutionis, sed etiam eousque dominium illius priori possessori tribuat, & domino fundi tamen faciat potestatem, hunc ab ingressu, adeoque etiam a persecutione ipsa arcendi. Hoc minimum exinde patet, talem prohibitionem pleno non gaudere effectu, quia dominus fundi nihilofecius apes inclusas restituere tenetur, quod & PLATONI justum visum est *Lib. VIII. de LL.* ibi: *si aliena examina quis persequitur atque ara pulsans delectatione apes ad se trahit, damnum restituat.* conf. *QUINCTILIAN. declam. XIII.* *Posteriori vero casu, si scilicet persecutio examinis fugitivi in continente non fiat, ei locus non est, & examen acquiritur occupanti, licet vel maxime prior dominus postea supervenerit, & ex suis alveis evolasse probare possit, namque dominium ejus semel evasit, & in naturalem libertatem sese recepit, §. 12. in fin. & §. 14. Inst. de R. D.*

Posteriori casu persecutioni locus non est.

casu, si scilicet persecutio examinis fugitivi in continente non fiat, ei locus non est, & examen acquiritur occupanti, licet vel maxime prior dominus postea supervenerit, & ex suis alveis evolasse probare possit, namque dominium ejus semel evasit, & in naturalem libertatem sese recepit, §. 12. in fin. & §. 14. Inst. de R. D.

§. XXVI.

Aliter vero se res habet secundum prisca germanorum jura.

Verum prisca germanorum Jura, quæ ante (§. XI.) laudavimus, a Romanis in eo divortium faciunt, quod Bajuvariorum & Alamanorum Legibus, haud fuerit necessarium, ut apes adhuc sint in conspectu, prioris domini, facilisque persecutionis, deinde quod non simpliciter totius examinis, sed illius saltem partis persecutio permittatur, quæ arbore ter percussa dejiceretur: Jus vero Municipale Magdeburgense, sive Weichbildicum hanc

hanc apium persecutionem plane prohibuisse videatur, & quamvis DD. cum Glossa *ad art. CXIX.* textum hujus juris secundum analogiam Juris Civilis, & de eo casu interpretari malint, si prior dominus in continenti non sequatur, vid. SCHILTER. *Ex. ad ff. XLV. §. 14.* STRUV. *S. I. C. Ex. XLI. th. 16.* FRITSCH. *de Jur. hortor. §. XLIV.* attamen differentiam hic inter Jus Civile & Weichbildicum lubens agnoscit THOMAS. *ad Strauch. Diff. VI. th. 28.* CARPZOV. *P. IV. Const. XXXVI. Def. 4.* eam in rem bina allegans præjudicia, quibus confirmat, in Saxonia, nisi contraria hujus vel illius loci consuetudo probetur, examen apium promiscue, sive prior dominus in continenti illud sequatur sive non, vicino ad quem evolavit, acquiri, non quidem, prout & ipse intelligendus est Carpzovius, ipso Jure, sed accedente occupatione: ergo poterit etiam prior dominus, tertiusve, si a vicino non prohibeatur, prius occupando eas suæ rursus subjicere potestati: THOMAS. *d. l.* multo magis in Saxonia quoque examen ex alveo meo evolans, & in ramo arboris alienæ in hortum meum extenso confidens jure a me occupatur. CARPZOV. *Decis. CCXCV.* Quod ad mo-
Mores hodierni sequuntur jus Romanum.
res hodiernos attinet, pro varietate locorum variant: In quamplurimis tamen germaniæ regionibus non multum a dispositione Juris Romani recedunt, & ubique fere evolans apium examen in continenti persequi licet. conf. STRYK. *Uf. mod. tit. de Acquir. rev. dom. §. 9.* STRUV. *Ex. XLI. th. 16.* adeo ut in ipsa quoque Saxonia, non obstante Jure illo Municipali, persecutionem apium in continenti fieri posse doceant SCHILTER. *d. th. 14.* STRYK. *tit. §. 9.* Hæc interim circa persecutionem apium singularia occurrunt quod (1) adhuc hodie sine speciali alicujus concessione ex Jure communi (2) cuicumque etiam privato
quod etiam de Saxonia refertur Schilter. Singularia quadam de persecutione apium.

vato competat, & (3) alio plane modo ac persecutio aliarum ferarum exerceatur, adeoque eatenus ab hac differat.

§. XXVII.

*Qui hoc per-
secutionis
non necessa-
rio est reci-
procum,*

*qua forte
objiciuntur
dubia remo-
ventur.*

Ceteroquin ex natura persecutionis ferarum supra §. IV. exposita amplius consequitur (1) quod sequela hæc non necessario fit reciproca, & proinde, si v. g. Titio competat in vicinum Caji territorium, eandem etiam huic in illius terras ea de causa competere, affirmari nequeat. Ex naturali quidem paritatis lege aliud dicendum, æquumque esse videtur, ut quam quis in alios legem statuit, eandem non gravatim & ipse subeat, quum æquus iudex aliam de sua, aliam de aliena causa, non ferat sententiam SENECA *de Ira, Lib. I. cap. XIV.* & prima pars æquitatis sit æqualitas. IDEM *Epist. XXX.* Ipse quoque ULPIANUS *L. I. §. I. ff. quod quisque Jur. in al. stat. & c. sa-* na ductus ratione probat, quod ipse quis in alterius persona æquum esse credidisset, id in ipsius quoque persona valere patiatur. Hæc tamen dubia non tanti momenti esse judicamus, ut propterea mutemus sententiam, lex quique paritatis haud promiscue atque indefinite, sed de ea accipienda est specie, ubi alterutri peculiare jus quaesitum non est, secus, quod vix quisquam asserere ausit, omnes servitutes mutua & reciproca esse deberent, isque in cuius fundo mihi v. c. jus esset eundi, eodem jure & in meo gaudere dicendus foret: adeoque optima profecto ratione PUFFENDORF. *de Off. hom. & civ. Lib. I. c. 7. §. 3.* illam de qua loquimur regulam his proposuit verbis: *ut ne quis, CUI PECULIARE JUS NON EST QUÆSITUM, plus sibi, quam reliquis arroget, sed alios æquo secum jure frui permittat.* Nec sequelam venatoriam reciprocam esse negantibus opponi poterit, illam ad res inno.

in noxia utilitatis referendam, locumque idcirco esse dispositioni *L. 2. §. 5. ff. de aq. & aq. pluvi. quod tibi non nocet, & alteri prodest, ad id potes compelli*: Varia enim eaque non levia cum persecutione ferarum conjuncta esse solere incommoda, *supra §. VII. si velis, discas.*

§. XXVIII.

Porro (2) ex eadem §. IV. concludimus, quod ex hac sequela præter casum persecutionis, nullum alteri intra cujus limites competit, generetur præjudicium, multo minus (3) ullum jus venandi tribuatur, uti recte contendit KLOCK. *Tom. I. Cons. XXX. n. 542.* adeo ut nec plures hujus sequelæ actus ad obtinendam in possessione vel quasi juris venandi defensionem seu, ut Jcti loqui amant, *manutenentiam* sufficiant, alia namque est mens & intentio persequentis, & alia venationem exercentis, actus agentium autem nec diversum nec adversum menti agentis producere debent effectum. (4) Quod persecutor feram agitatam propria autoritate occupare, secumque auferre, & (5) impedimenta, ad usum hujus juris duriolem reddendum de facto posita, remove, v. g. sepes objectas transcendere, vel demoliri, fossasve productas aggere explere, itidem (6) alio quocunque modo in possessione vel quasi hujus juris turbatus, non tantum privata potestate sese tueri, sed etiam (7) remedio possessorio, scilicet utili interdicto uti possidetis, ad possessionem vel quasi hujus juris sive processu summariissimo sive ordinario quiete retinendam, eoque tam Princeps contra Principem, & privatum, quam privatus contra privatum uti queat: Privato autem contra Principem hoc remedium competere cum BERGERO *in Concl. for. Ex. I. Concl. IV.* negamus, quia sequelam hanc suo modo regalibus annumeravimus, (*§. XVII. in*

F

fin.) pen non datur,

fin.) ratione quorum privatis vehemens adversatur præsumptio, & hujusmodi usurpatio non quasi possessio, sed potius iniqua audit occupatio, quæ adeo nihil occupatori prodest, neque eum relevat ab onere probandi **MENOCHE**. *remed. rer. poss. ult. n. 24.* unde & illud ex **PETRI REBUFFI** doctrina enatum, Regem nusquam litigare sine possessione in his, quæ ipsi, ut Regi summo Jure conceduntur. Excipimus tamen cum laudato **BERGERO d. l.** & **LEYSERO Spec. ad ff. CCCCXCIX. Med. IX.** possessionem decennalem, ex hac enim fortior aliqua oritur præsumptio, qua contraria ad effectum victoria in possessorio ordinario eliditur. **LUDOV. POSTH. Obs. XLIV. n. 23. seqq.** multo magis autem (8) remedium quoque petitiorum, videlicet utilis actio confessoria, ad ipsum jus sequelæ venatoriæ contra negantem, & quemcunque impediens vindicandum competit.

§. XXIX.

Nihil nunc agendum nobis superest, quam ut paucis adhuc subjungamus, qua ratione sequelæ venatoriæ compos hoc jure iterum excidat, id quod contingit (1) *ejus abusu*, qui enim permiffa sibi abutitur potestate, eam omnino meretur amittere, vid. *can. 63. caus. XI. quest. III.* add. §. *fin. l. de his qui sunt sui vel alien. Jur.* variis autem hic abusus committitur modis, v. g. alias, quam quæ ex persequentis territorio aufugerunt, feras in alieno banno prætextu hujus juris occupando, aliasve, quam intuitu quarum concessum est, bestias persequendo, vel etiam ultra constitutos limites, aut inconsueto posthibitoque tempore illud exercendo: In hos autem, qui abufibus ejusmodi vacant, optime quadrat illud **HIERONYMI** in *can. XI. Dist. 86. Esau venator erat, quoniam peccator erat.* *Et penitus non invenimus in scripturis sanctis sanctum*

*competit
etiam ei qui
jus hoc sibi
vindicare
vult, actio
confessoria
nilis.*

*Amittitur
hoc jus (1)
abusu,*

*qui variis
modis com-
mittitur,*

sanctum aliquem venatorem, piscatores invenimus sanctos.
 Sed quid si certus persecutionis modus, v. g. ut absque inflatu corniculi venatorii fiat, præfinitus, & is non observatus fuerit? Peccat sane venator ceraula, eam tamen ob rem jure sequelæ non privandus, per *L. 11. pr. observatus. ff. quemadmod. servit. amitt.* conf. BRUNNEM. ad h. *L. n. s. 2.* verum ad interessè conveniri, & ut justus in postor-
 rum observetur modus adjecta pœna eidem injungi debet. Ratio nimirum diversitatis hæc est, quod qui in modo exercitii hujus juris saltem peccat, non aliud, sed saltem plus facit, proindeque jus suum non amittit, vid. *cit. L. 11.* sed qui alia ratione sequela hac abutitur, non plus, sed aliud, imo tale quid facit, quod fere semper aliud adhuc crimen conjunctum habet.

§. XXX.

(II.) Jus persequendi feras amittitur non usu, five illius ipsius, cui sequela competit, five ejus (saltuario-
 rum, metu forte periculi exercitium negligentium, licet nulla ex parte ejus; in cujus bannum ferium competit, accesserit prohibitio vel contradictio, de nihilo quippe est, quod forte objicias, de rebus meræ facultatis non præscribendis dubium, nec enim consentimus illis, qui exercitium hujus juris rebus illis annumerant, per tradita D. LEYSERI in *Med. ad ff. Spec. CCCCLXII. Med. II.* & si vel maxime iisdem annumeranda foret, constat tamen, quod etiam ea, quæ meræ facultatis sunt, non utendo amittantur, si occasio utendi evenisset, eaque intermissa & neglecta fuisset, quemadmodum privilegium & omne aliud jus non usu amittitur, si occasio utendi contingat KLOCK. *Tom. I. Conf. XXIX. n. 6 22.* firmissimo argumento *L. 10. §. 1. ff. quemadmod. servit. amitt. L. pen. & fin. C. de servit.* quibus non obstant *L. 6. & 32. §. 1. de Servit. Prad. urb. nec L. 18. §. 2. d. tit. quemadm. Serv. amitt.*

ceu quarum ratio saltem illis juribus convenit, quæ ad sui exercitium hominis factum non requirunt, ad alia non pertinet. conf. STRUV. S. J. C. Ex. XIII. th. 57. Ut autem hæc sequela non usu amittatur, necessarium est (a) ut occasio illa utendi extiterit, cui enim occasio agendi citra suam culpam deest, illi non imputatur, quod non egerit, hinc nec jus suum amittit, si ejus exercendi occasionem non habuit. PUFFENDORF. de off. hom. & civ. cap. 1. §. 22. HERT. Vol. I. Resp. VII. n. 21. (b) ut usus ejus intermissus fuerit viginti annos, nisi illa quolibet anni tempore exerceri potuit, quo casu etiam non usus decem annorum inter præsentis ad amissionem hujus Juris sufficit, arg. L. 7. ff. d. t. quemadm. servit. amitt. & alt. L. pen. & f. C. de servit. (c) ut is qui libertatem ab hoc jure negligentia alterius se præscripsisse intendit, sit in bona fide, adeoque ignoret, alteri jus hoc competere, si enim hoc sciat, atque sic in mala constitutus sit fide, non usus negligentis jus suum, quamvis Jure civili per L. 4. §. 27. de usurp. & usucap. obtiterit, attamen de Jure canonico non nocet, quandoquidem omnes leges Romanæ, quæ malam fidem in præscriptionibus tolerant, memorabili illo cap. ult. X. de præscript. sublata sunt, quam sententiam etiam quoad amissionem rerum incorporalium præjudicii & autoritatibus confirmat D. LEYSER. Med. ad ff. Spec. CX. Med. V. VI. Præterea jus persequendi feras (III.) etiam conventionem expressa & tacita remitti, item (IV.) consolidatione, (V.) confusione, (VI.) resolutio, jure constituentis (VII.) elapso tempore adjecto, (VIII.) revocatione concedentis, si precarium sit, amitti posse, cuivis facile est intellectu, quare his modis prolixius exponendis haud immorabimur, sed colophonem huic labori addimus tribuendo
SOLI DEO GLORIAM,

COROL.

Ut autem
amittatur,
requiritur,
ut occasio
utendi ex-
titerit,

ut usus in-
termissus
fuerit XX.
vel X. an-
nos,

ut, qui li-
bertatem ab
hoc jure
præscribere
vult, sit in
bona fide,

amittitur
etiam (3)
conventionem
expressam vel
tacitam,

(4) consoli-
datione,

(5) confu-
sione,

(6) resolutio
jure consti-
tuentis,

(7) elapso
tempore ad-
jecto,

(8) revoca-
tione conce-
dentis, si pre-
carium sit.

COROLLARIA.

- I. **I**N bello, ferro, fame, veneno, dolo atque armis quibus-
cunque uti licet.
- II. Polygamiam in genere secundum Ius naturæ licitam repu-
tamus.
- III. Per descriptionem matrimonii in §. 1. Inst. de patr. pot. quod sit
viri & mulieris conjunctio, polygamiam excludi, negamus.
- IV. Verba d. §. individuum vitæ consuetudinem continens, non ex-
cludunt divortium.
- V. Ex §. 2. d. tit. patet, Romanis, tempore Iustiniani, intuitu alio-
rum, admodum restrictam & limitatam potestatem in libe-
ros competiisse.
- VI. Lex non demum post duos menses, sed statim quam lata est obli-
gat.
- VII. Legitima principum ætas est annus XXV. completus.

PRÆNOBILISSIMO atque DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. D.

PRÆSES.

Qvae singulis hominibus, eadem quoque totis sæpe gentibus
contigit ingeniorum morumque diuersitas, adeo ut quod
illa magni facit, hæc susque deque habeat. Nec nostris
diuersitas ista temporibus suam debet originem, sed ab antiquiore
mundi ad hodiernam progressa est ætatem. Testimonium huius
rei non est cur e longinquo petamus, in ipsa quippe venationis ma-
teria obuium. Romani libera saltem republica, tradente SALV-
STIO de bello Catil. c. IV. venationem inter seruilis officia relatam
ingenuo homine minus dignam putabant, & tum illi demum penes
eos aliquid pretii accessisse videtur, cum imperatores ea corporis

EXER-

exercitatione coepissent delectari, Germani contra ea, si quando Mars ipsis otium fecerat omnem vitam in venatione constituiebant, pro belli simulacro eam habentes: eadem ratione, qua *Chiron* per venationis exercitium in belli consuetudinem inducere studebat *Achillem suum*, qui praeceptorem his verbis laudat apud *STATIVM* *Lib. II. Achilleidos*:

*quae nunc tibi praelia dicam
Sylvarum, & vacuos saeno jam murmure saltus?
Nunquam ille imbelles Ossaea per ania lynces
Sectari, aut timidos passus me cuspide damas
Sternere, sed tristes turbare cubilibus ursas,
Fulmineosque sues, & sicubi maxima tigris,
Aut subdubta jugis foetae spelunca leaenae,
Ipse sedens vasto facta expectabat ab antro.*


Hoc itaque venationis exercitium bellicosae germanicae gentis indoli apprime congruebat. Tantum vero abest, ut seruis Germanorum jus venandi fuerit, ut ne armatis quidem iis incedere liceret, ne scilicet armis ad venandum abuterentur. In eo tamen utrique genti eadem erat animi sententia, quod successu temporis varias de venationibus condiderint leges, quarum tractatio illis, qui liberalibus operam dant studiis, ipsa venatione est jucundior: haec enim licet ad tuendam corporis valetudinem (quod eleganti differet. non ita pridem probatum dedit *vir experientissimus & collega noster honoratissimus D. IO. CASIMIRVS HERTIVS*) optime conducat; illa tamen praecipue animum recreat & perfectiorem reddit. Quam recreationem, *praestantissime Domine Respondens*, nunc etiam tuam fecisti, & quemadmodum majores nostri venationibus ad bella sese praeeparabant; ita hoc exercitio litterario semet ad miliciam togatam omnibus necessariis instructum sistis. Equidem iterum iterumque datis occasionibus opponentis vices jam publice sustinuisti, & eximiam eruditionem tuam omnibus probasti, sed nunc complementum addis, de quo ego gratulabundus optimis omnibus te prosequor. D. T. O. M., solus verae felicitatis auctor, tuis conatibus annuat & bonum, quod optas, tibi largiatur. Vale. Dabam Gicfae IV. Non.


Octobr. 1738.

No 1924

Ko 1924

X 236 64 19





21/

49

Q. D. E. P.
DISSERTATIO IVRIDICA
DE
FERARVM
PERSECVTIONE
IN TERRITORIO ALIENO

VVLGO
Jagd=Solge

QVAM
PRÆSIDE
IO. HARTMVTH RAYS

I. V. L. PROF. PVBL. ORD.
DIE IX. OCTOB. MDCC XXXIIX.

PVBLICE VENTILANDAM
PROPONIT
IVSTVS PHILIPPVS HOMBERGK
zu SCHENCKLENGSFELD
HASSVS.

GIESSÆ
EX OFFICINA MVLLERIANA.